

tota syndrome, nullo penitus repugnate, ad præseruationem summoperè conuenire videtur, videlicet frequentissimus vsus duorum remediorum, secundùm omnè administrationis modum, sacchari inquam rosacei & rhabarbari. Consulem ergo eius illustrissimæ D. vt singulis diebus ante cibum vteretur saccharo rosaceo, etiam ad vnciæ quantitatem, ac præterea quater in inense tribus horis ante prandium manderet, ac deglutiret drachmâ optimi rhabarbari. In reliquis omnino abstineret ab omnibus validioribus medicamentis: & in qualibet etiam magna purgandi necessitate nõ excederet rhabarbarum, calsiam, mannâ, & syrupum rosatum solutiuum. Quæ omnia si rectè obseruentur, & addentur his, quæ clarissimi illi Doctores iam pridem consuluerunt, spero nõ tantùm ad præseruationem ex catarrho cum sputo sanguinis, sed etiam curationem, vbi oportuerit, subuentura.

## CONSILIVM CLIX.

*De præseruatione sputi sanguinis, & curatione catarrhi descendens ad pectus.*

**L**ABORAVIT quidam Patauinus fluxu sanguinis ex pulmone, qui curatus erat à Bellocato. Rursum tamen ex valido exercitio & nimia Venere, incidit in eundem affectum. Excellentissimus Montanus catarrhum maximâ causam huius mali esse voluit, quæ ex cruditatibus generatis in ventriculo, & sub forma vaporum ad cerebrum delatus esset, deinde ad pectus & pulmonem, permixtus multo flatu descendisset, ac venulam quandam in pulmone suo impetu & mala qualitate soluisset. Cura igitur & præseruatio talis fuit. Nos habemus eundem casum, quem Galen. in 5. Methodi habuit de sputo sanguinis à catarrho originem trahente, ergo eisdem etiâ indicationibus curatiuis utemur. Sicut autem Galenus testatur, tria potissimum erunt faciendâ. Primum: vt fiat venæ sectio, & minoratio materiæ simul: cum his enim diuertetur sanguis, nec amplius ad locum affectum defluet. Et quoniam ab excellentiss. Bellocato fuit secta vena, & euacuatum caput pillulis cocchiis, ideo de hac prima intentione nihil dicemus. Secundum: Galenus instituit vesicatoria in capite, vt catarrhus descendens ad pulmonem interciperetur: sed quoniam non possumus habere ea, quæ Galen. vsurpauit, utemur nos interea sinapi, euphorbio, pyrethro, cantharidibus, quibus vesicas excitemus, quas teneat apertas, quandiu fuerit à catarrho molestatus. Tertium: Fiat confortatio pectoris cum electuario papaueris albi, cum saccharo, & vigesies etiam rosato, vt ait Auicenna, nec transeat papauer album. Nostri moderni septies, decies exhibent Philonium in sputo sanguinis, quo nihil detestabilius, teste Galeno in libro de crasis. Ratio victus sit tenuis, mediocris, nec darem inuisantia multa, vt sunt pedes vitulorum: timeo enim cruditatem in ventriculo ex his generari. Potus nec sit vinum, nec propterea aqua, quia frigida nimis, & causa erit maioris catarrhi copiarum. Decoquatur hordeum in aqua, cui admiscerem

*Vesicatoria.*

*Philonium  
reprobata  
fm hoc  
casu.*

**A** & medullam, & semina pomorum Cotoneorum, quibus consultum erit sputo sanguinis: præterea astringunt etiâ, nec calefaciunt ventriculum, absque eo, quod non hepar calefaciant, quod admodum calidum in isto nobilissimo viro. Abstineat etiam ab omnibus excessibus, præsertim à coitu, si vitam suam propriam amet. Habuit secum mulierem, ex quo incidit in maximâ imbecillitatem ventriculi, vnde plurimus catarrhus generatus fuit. Vesicatoria valentiora possent fieri ex adarce, lepidio: id est, piperella, seu iberide, & tandem caustica capiti applicari.

R. Pyrethri,

Sinapi ana ʒ.ij.

Euphorbij ʒ.ij.

Cantharidum ʒ.ij.

Fermenti,

Caricarum denudatarum ana ʒ.j.

Fiat mistura cū lixiuio. D. Bellocatus vsus est in catarrho defluente ad pectus istis pillulis opt.

**C.**

R. Dragacanthi,

Succiliquiritiæ,

Gummi Arabici ana ʒ.j.

Cum sapa quantum sufficit, fiat pasta.

## CONSILIVM CLX.

*De catarrho cum tussi & sputo sanguinis, præ Matrona Veneta nobilissima.*

**V**OLEBAM primo loco loqui, quia primus adfui, & vidi sputum sanguinis, audieram etiam prolixius de catarrho, vt reliquos clariss. Doctores rectius informare possem. Talis igitur est magnifica Domina, laborat sputo sanguinis per interualla, & quidem rarò, ita vt duobus annis & dimidio, quibus laboravit catarrho, bis tantùm laborauit sputo sanguinis, quum tamen continuè laboret catarrho. De utroque igitur dicendum erit, & primò de his quæ sensui apparent, ex quibus postea reliqua quæ minus nota sunt, elicientur. Primò de sputo sanguinis, quantum ad quantitatem non multum est & copiosus. Imò si volumus istam quantitatem æstimare, dicendum erit potius esse paucum. Quia in spacio 24. horarum non audio eam expuisse, nisi hoc manè paululum: sanguinis quantitas erat 3. vel ad summum 4. guttæ, ampliores quantitate fortassis vnus vnguis, ita vt non sit quantitas omnium ʒ.j. sanguinis, substantia crassissima est sanguis & compactus, color obscurus & niger: quo ad mitionem admixtus est sputo, sed ita vt emineat supra omne sputum, tanquam sit flatuosum aliquid, quod faciat eum supereminere. Heri videbam sanguinem non admodum dissimilem hodierno, nisi quod copiosior aliquantulum erat, non multum tamen: & hæc sunt, quæ bis vidi. Postea audiui ex charissimo marito, & astantibus eam ante sex dies, cum esset Venetiis, confertim & repente expuisse sanguinem copiosum, ad quantitatem dimidiæ scutellæ vna vice, idque cum tussi, quæ posthac etiam semper durauit, sed nunquam reiecerit sanguinem deinceps nisi nunc. Medicus Venetus Massa, deterritus quantitate sanguinis, statim nulla alia re præmis-

*sa vo.*